



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

52. Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Capitulum Apamiense.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

appellationem hujusmodi admisisse; cujus rei vel umbra ipsa, si debitam Eisdem Sedi reverentiam in consilio habere voluisset, revocare te, atque retrahere ab incepto debuisset. Hæc scribenda ad Fraternitatem tuam duximus; ut & ea, quæ perperam egisti, corrigas, & à similibus in posterum agendis abstineas, atque interim conscientia tuæ consulas.

Datum Romæ die 2. Octobris 1680.

Marius Spinula.

Documentum LII.

Breve Sanctissimi D. N. INNOCENTII XI. PP.

Ad Capitulum Ecclesiæ Apamiensis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecti Filij, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Præter omnem expectationem Nostram accepimus ex vestris litteris, quæ nuper isthic acciderunt de dilecto Filio Michaël d' Aubarede Archidiacono, & Vicario Generali, per vos verum & legitimum ejusdem Ecclesiæ Capitulum constituentes, Canonicè Electo, exulare jullo; deque admissis ad celebrationem divinorum officiorum ijs, quos tanquam in beneficiorum possessionem temerè ac violenter intrusos, bonæ memoriæ Franciscus Episcopus vester innodatos censuris, à generali Concilio Lugdunensi inflictis, promulgaverat. Vestrae tamen pietatis, ac fidelitatis, manere in statione, & locum, in quo positi estis, constanter tenere, sicut facitis: neque alios Vicarios Generales sede vacante agnoscere, quàm præfatum Michaëlem d' Aubarede, & alios à vobis electos, vel eligendos; quos etiam quatenus opus sit, autoritate Apostolicâ confirmamus, & respe-

respective confirmabimus; mandantes Clero tam Seculari, quam Regulari & universo populo Apamiensi, ut neminem alium, quam quos diximus, Vicarium Capitularum agnoscant, aut illi actum ullum obedientiae praestent; de quo etiam per vos, seu per electos a vobis Vicarios, moneri praefatos, Clerum, & populum volumus, ac mandamus; alios enim, quicumque Vicarij Generalis auctoritatem sibi, quocumque nomine usurpare auderent, antequam novum Episcopum Apamiensi Ecclesiae praefecerimus, nullum plane jus, aut facultatem habere eos, negotijs se Ecclesiae, & Dioecesis istius immiscendi, eaque omnia, quae Vicariatus ejusmodi titulo per eos agi contingeret, irrita, & inania, ac nullius momenti fore declaramus. Agenda interim Divinae Misericordiae uberes gratiae de occasionibus, quibus virtutem, ac fidem vestram exercet, & de singulari constantia, qua vos armat, ad omnia alacriter pro Christi nomine, cum gaudio sustinenda. Nos paternum Nostrum ob angustias vestras dolorem, ea interim consideratione lenimus: quod multae sunt tribulationes justorum, & de omnibus eis liberabit eos Dominus. Ac vobis dilecti Filij, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Octobris 1680. Pontificatus Nostri anno quinto.

Marius Spinula.

Bbb 3

Docu-

Ilia
dilecta
III
230